

*charitatem operatur.* Sicut enim ex eo quod Apostolus dixit, 1 ad Corinthios 13, loquens de quocumque opere virtutis: *Si charitatem non habeam, nihil mihi prodest*, recte colligimus nullum opus, quantumvis aliunde bonum, sine charitate factum, esse meritorium de condigno, ita quia Paulus dicit in Christo nihil valere, nisi quod fides operatur, recte colligimus, omne opus virtutis, non factum ex fide, non esse meritorium de condigno apud Deum. Imo inde etiam colligimus non satis esse habere fidem, etiam vivam, nisi fides ipsa operetur; nam Paulus de fide operante aperte loquitur.

17. *Confirmatur secundo.* — Secundo, hoc ipsum non minus confirmat alter locus Pauli ad Roman. 4, ubi de Abraham duo simul dicit, quæ apparent repugnantia, nisi recte distinguantur. Negat enim fuisse justificatum ex operibus, et affirmat fuisse justificatum ex fide, juxta illud, quod de illo scriptum est: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, quod de quadam secunda justificatione Abraham dictum est, Gen. 15, ut supra libr. 8 tractatum est; ergo intelligit Paulus etiam secundam sanctificationem non fieri ex operibus, utique a fide non procedentibus; de his enim in illa propositione negativa loquitur, ut cum Augustino in eodem libr. 8 probavimus. E contrario vero affirmat talem sanctificationem fieri ex fide, sub qua etiam opera quæ a fide procedunt comprehendit; nam et ipsa fides opus quoddam est quod Christus postulabat, cum dicebat Joan. 6: *Operamini non cibum qui perit*, ut ibi Augustinus ponderat; ergo nulla opera bona, etiamsi in homine justo existant, sunt meritoria de condigno; alioqui mererentur augmentum justitiæ, et ita illa esset quædam justificatio ex operibus. Neque enim possunt vere dici talia opera esse ex fide, solum quia in persona supponitur habitus fidei; tum quia, ut in dicto loco libr. 8 ponderavi, particula *ex*, nec temporis ordinem, nec solam concomitantiam dicit; tum etiam quia respectu talium operum fides illa otiosa est, et perinde se habet ac si non esset.

18. *Confirmatur tertio.* — *Unde possit confirmari quarto.* — *Concluditur cogitationem congruam non posse fundare meritum.* — Tertio, confirmat hoc ipsum testimonium Jacobi cap. 2, nam veluti exponens Paulum, ut Augustinus notavit, dicit, *Abraham ex operibus justificatum esse, quoniam fides cooperabatur operibus illius.* Ubi evidentius loquitur de justifica-

tione quoad augmentum justitiæ, et de merito proprio, ut exposuit Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 10. Dicit autem Jacobus illa opera Abraham habuisse tale meritum, quia fides viva illis cooperabatur. Et aperte sentit hoc fuisse necessarium ad talem justificationem ex operibus, nam illam causalem addidit Jacobus, ut tacite explicaret quæ opera non justificent, etiamsi in homine fidei et justo inveniantur, juxta sententiam Pauli. Atque hoc ipsum notavit Cardinalis Bellarminus, lib. 2 de Justif., cap. 19, § *Respondeo*, dicens Abraham justum jam fuisse eo tempore, cum dictum fuit reputatum esse ejus fidem ad justitiam, et nihilominus dicere Paulum, illum non fuisse justificatum ex operibus, sed ex fide, quia opera ejus ex fide procedebant: *Excludit autem* (inquit) *Apostolus opera quæ Abraham facere potuisset, non ex fide. Nam etiam hi, qui fidem habent, aliquando operantur non ex fide, ut cum peccant aut cum faciunt opera pure moralia*, et addit de talibus etiam operibus verificari, quod Paulus ait: *Si Abraham justificatus est ex operibus* (utique non procedentibus ex gratia fidei), *habet gloriam, sed non apud Deum.* Possemus tandem ad hanc doctrinam confirmandam afferre testimonia Scripturæ, Conciliorum et Patrum, præsertim Augustini, dicentium fidem esse initium omnis justitiæ et meriti apud Deum, quæ adduximus in libr. 1, cap. 16 et 19, et ideo illa nunc omitto. Videri tamen potest Augustinus, epist. 105, et præfat. in Psal. 31. Ex his ergo concludo cogitationem congruam mere naturalem, sive appelletur gratia, sive non, sed naturæ debita, supposito talium causarum ordine, non posse esse sufficiens fundamentum meriti apud Deum ex parte intellectus, hoc enim testimonia adducta convincunt. Et ratio sufficiens est, quia sine fide impossibile est placere Deo, quod non solum de persona, sed etiam de singulis actibus ejus, proportionem servata, Sancti intelligunt, et inde etiam inferimus etiam ex parte voluntatis requiri ad opus meritorium majus auxilium gratiæ, quam soli cogitationi naturali correspondere possit, ut jam probavimus.

19. *Assertio tertia: actus prædicti debent ad meritum, fieri ex motivo supernaturali, et id satis est si operans sit in gratia.* — *Unde probetur assertionis pars prior.* — Dico ergo tertio actum virtutis acquisitiæ debere fieri propter aliquem supernaturalem finem, seu ex motivo aliquo supernaturali, ut possit esse

meritorius de condigno; quod si homo justus ita operetur, id satis erit ut per talem actum de condigno mereatur. Prior pars hujus assertionis sufficienter sequi videtur ex præcedenti, tum quia si actus virtutis acquisitiæ, et consequenter bonus ex solo motivo naturali, non sufficit ad meritum, profecto necessarium erit ut bonitas superioris ordinis illi addatur; hæc autem addi non potest sine aliquo superiori motivo; tum etiam quia si ex parte intellectus est necessaria fides ad meritum, ut probatum est, etiam ex parte voluntatis necessaria erit aliqua supernaturalis intentio; nam istæ potentiæ cum proportionem elevantur ad operandam vel merendam justitiam, neque alia ratione requiritur fides ad operationem meritoriam voluntatis, nisi ut proponat ei objectum aliquo modo supernaturali, et modo consentaneo ad supernaturaliter operandum. Deinde probant hanc partem hujus assertionis testimonia quæ dicto cap. 7 induximus ad probandam necessitatem auxilii gratiæ et supernaturalis actus ad meritum, ponderando illas particulas a Christo additas, cum talibus operibus præmium promisit, scilicet, *in nomine meo, propter nomen meum, in nomine justi, Prophetæ, aut discipuli.* Nam hæc et similia motivum aliquod supernaturale significant. Et hoc confirmat illud Matth. 5: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* nam his verbis significavit Christus dilectionem naturalem ex sola humana amicitia vel gratitudine, etiamsi bona sit, non habere mercedem apud Deum, sed necessariam esse dilectionem aliquo modo supernaturalem. Unde est illud Gregorii, homil. 27 in Evangel.: *Sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt, sed aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis Dominicis ex charitate debetur obedientiæ, et addit, quod ad rem nostram spectat: Hi nimirum et proximum diligunt, et tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur.* Quod certe eadem vel majori ratione de cæteris actibus ex solo motivo naturali factis dici potest. Et sumitur etiam ex Leone Papa, sermon. 7 Quadrag., cap. secund., ubi de operibus misericordiæ ait: *Non sunt fraudanda sua laude, si propter naturæ communicationem fiant; sed quia non ex fidei fonte procedit, ad præmia aeterna non pervenit, ideo alia est conditio operum cælestium, alia terrestrium.* Ubi sola bona opera ex fide pro-

cedentia vocat cælestia, id est, digna cælesti merito; de aliis vero, quæ terrestria vocat, solum dicit habere suam laudem, utique apud homines, non apud Deum, quoad spiritualia scilicet præmia. Idem sentit Augustinus, vel auctor lib. de Ecclesiast. dogmat., c. 64, dicens: *Melior est continentia* (scilicet, quam nuptiæ), *sed non sibi sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pudicitiae relinquitur, sed si et cum affectu causa vacandi Domino eligatur.* Est autem ratio generalis supra tacta, quia in actu mere naturali non est proportio ad supernaturalem finem, et ideo necesse est ut ad illum ordinem elevetur, quod sine aliquo fine aut motivo supernaturali fieri non potest. Unde D. Thomas in 2, dist. 27, quæst. 1, art. 3, recte dixit meritum et præmium hanc proportionem servare debere, ut saltem sint ejusdem ordinis, ita ut si præmium excedit facultatem naturæ, ita etiam et meritum. Et in prima parte, quæstione 62, articulo quarto, ad primum et secundum, dixit Angelum non meruisse, nisi per bonum opus superans naturales vires ejus.

20. *Posterior pars assertionis.* — Hinc autem facile probatur altera pars assertionis. Primo, eisdem Scripturæ testimoniis, quia dum promittunt mercedem sic operantibus, non requirunt ad meritum verum et proprium altiorem modum operandi. Unde si justus sic operetur per virtutes morales sine alio imperio superioris virtutis, præterquam illius ad quam pertinet finis, seu motivum supernaturale propter quod operatur, implet conditionem sub qua promissa est merces; ergo meretur illam, et suo tempore illam consequetur, cum Christi promissio non possit deficere. Secundo, probari potest assertio testimoniis et rationibus, quibus capite præcedenti probavimus actus morales per se infusos non indigere alia relatione extrinseca ad meritum, nam eadem applicari possunt ad actus virtutum moralium acquisitarum factos ex aliquo supernaturali fine, quia eo ipso virtualiter ordinantur ad finem ultimum supernaturalem, non quidem relatione virtuali proveniente ex alio priori actu voluntatis elicitio, sed relatione inclusa illomet actu respiciente motivum supernaturale; ergo est in tali actu sufficiens proportio ad meritum, similis illi quæ in actu infuso invenitur. Tertio, probatur assertio quia in tali actuveniuntur omnes conditiones necessariae ad meritum, supposito statu gratiæ in persona operante. Et ad hoc possunt iterum ponderari

verba Concilii Tridentini in capite 15, ubi, positis fere his conditionibus ex parte actus, quod sit bonus, et ex influxu Christi in membrum sibi conjunctum, sicut vitis in palmitem, addit: *Nihil amplius illis deesse credendum est, etc.*; ergo ille modus operandi ad proprium meritum talium operum sufficit.

21. *Probatur impugnando omnem aliam relationem.* — Quarto, specialiter hoc probatur excludendo necessitatem alterius relationis, quæ per proprium actum charitatis et dilectionis Dei fiat. Quia dupliciter cogitari potest quod actus charitatis præcedens tempore, vel natura, sit necessarius ad hoc meritum. Primo, quia est simpliciter necessarius ut homo possit operari ex motivo supernaturali, vel quia, licet non sit necessarius, ut alius actus fiat ex alio inferiori motivo supernaturali, ultra hoc necessarium est, ad meritum, ut fiat ex motivo ipsius finis ultimi super omnia dilecti; neutrum autem horum dici potest; ergo. Prima pars minoris probatur, primo, quia, licet justus non habuerit actum charitatis, potest per fidem cogitare de aliis motivis supernaturalibus, verbi gratia, de redemptione suorum peccatorum, de excellentia præmii, spe illius, et similibus quæ per se sufficiunt movere voluntatem, etiamsi ab altiori motivo bonitatis Dei nunc non excitetur, neque per actum præsentem, neque per virtutem ab eo relictam; ergo potest voluntas ex illis motivis supernaturalibus imperare sibi actus naturales, quia cogitari possunt media ad illos fines utilia; ergo non est necessaria alia superior relatio, ut illi actus tali modo supernaturali, quamvis minus perfecto, fiant. Et confirmatur, nam isto modo potest interdum operari fidelis in peccato existens, dando eleemosynam propter aliquem extrinsecum finem supernaturalem, licet nondum Deum super omnia diligat. Et intra ordinem naturæ potest homo honeste operari, et propter intrinsecam honestatem objecti, et ordinando illam ad alium finem honestum, ejusdem ordinis, quamvis Deum etiam ut auctorem naturæ nunquam super omnia dilexerit, neque in ipsum retulerit, vel omnes actus suos in generali, vel illos in particulari; ergo etiam in ordine gratiæ non repugnat ille modus operandi sine alia superiori relatione, quæ in priori actu ipsius operantis fundetur.

22. *Effugium.* — *Refutatur.* — Sed dicunt aliqui quod, licet sit verum præcedentem actum charitatis non postulari propter ipsum actum inferiorem, ut ex proprio imperio for-

mali vel naturali charitatis fiat, nihilominus esse necessarium quod ille charitatis, universalem relationem cæterorum operum continens, præcedat, ut homo possit esse justus, et consequenter ut alius actus possit esse hominis justus. At hoc non recte dicitur. Primo, quia illo modo confunditur conditio necessaria ex parte personæ merentis cum conditione requisita ex parte actus, quoad supernaturalitatem ejus, vel relationem in finem supernaturalem. Nam illa necessitas dilectionis Dei, si qua est, solum est ut disponat hominem ad justificationem. Unde si hoc semel faciat, ad meritum alterius actus, in quem nullo modo moraliter influit, nihil conferre potest, ut supra satis ostensum est. Deinde in rigore falsum est quod sumitur; nam infans baptizatus, perveniens ad usum rationis, non indiget tali actu charitatis, ut justificetur, nam ad illum statum justus pervenit, et potest incipere operari per fidem et alias virtutes priusquam per charitatem operetur. Similiter adultus justificatus per sacramentum, cum sola attritione, potest ex pietate fidei dare eleemosynam alteri fidei vel Religioso, priusquam actum elicitum dilectionis Dei, vel relationem universalem suorum operum in ipsum faciat; imo etiam extra Sacramentum potest interdum homo justificari per contritionem sine illa formali relatione, et ante illam postea dicto modo operari; ergo ille actus dilectionis, vel illa relatio non est simpliciter necessaria ut possit homo justus hæc opera facere ex alio fine supernaturali minus perfecto.

23. *Impugnatur deinde prædicta actualis relatio tanquam necessaria ut ex illa evadat opus merito dignum.* — Superest probanda altera pars, scilicet, non esse necessariam propter meritum. Et imprimis satis constat non esse necessariam propter solam relationem objectivam, cum illa nihil morale addat actui, qui postea fit sine aliquo influxu illius, ut satis probatum est. Deinde certum judico non esse necessariam formalem relationem, ut ex sententia fere ab omnibus Theologis recepta ostendimus, atque etiam probavimus nulla auctoritate vel probabili ratione id suaderi. Imo, incredibile videbitur, si quis consideret illum modum operandi non esse communem justorum, sed magnam perfectionem postulare, ideoque dici posse singulare perfectorum. Cum autem Christus, non solum perfectis et perfecte operantibus, sed etiam omnibus mandata servantibus, vitam æternam promiserit,

non est verisimile postulasse ad meritum gloriæ singularem modum operandi perfectorum. Denique quod nec virtualis etiam relatio necessaria sit, non parum persuadet ratio proxime facta, quia etiam ille modus exercendi alias virtutes est valde perfectus, et satis rarus, saltem in frequenti operatione virtutis; unde neque est præceptus, neque ulla sufficienti ratione aut auctoritate probatur necessarius ad meritum, ut ex solutionibus argumentorum patebit. Imo, si attente ponderentur loca Scripturæ supra allegata, in quibus vita æterna promittitur bene moraliter operantibus ex motivo aliquo supernaturali, valde probabiliter ex illis colligitur illum modum operandi, et quodcumque ex illis ostivis sufficere ad meritum, sive motivum pertineat ad obedientiam fidei, sive ad fiduciam spei, sive ad cultum Christianæ religionis, sive ad placandum Deum, sive ad specialem affectum Christi, imo et Virginis, vel alicujus Sancti, vel alio simili, etiamsi ex altiori motivo, vel actu charitatis, neque actu neque virtute procedat. Cum ergo Scriptura non amplius requirat, et hoc sufficiat ut opus sit proportionatum ad meritum, non est cur Dei liberalitatem et promissiones restringamus, cum magis sit consentaneum divinæ providentiæ, ut modo accommodato humanæ fragilitati et conditioni hæc omnia ordinaverit.

24. *Ad Scholasticos antiquos in num. 6.* — *Ad testimonia Scripturæ in num. 7.* — *Ad Patres in num. 8 adductos.* — Solum superest ut ad motiva in contrarium adducta respondeamus. Et imprimis de antiquis Scholasticis, dicimus solum intendere necessarium esse ad meritum, ut opus aliquo modo pertineat ad supernaturalem charitatem, et in illa fundetur et radicetur; hoc autem habet eo ipso quod fit ex motivo quocumque supernaturali, dummodo fiat ab amico Dei, quia est proportionatum amicitiae divinæ, et de se tendens in finem charitatis, quæ in operante supponitur. Neque plus probant testimonia Scripturæ, ut ex aliis testimoniis ejusdem Scripturæ probatum est; nam optimus modus exponendi Scripturam, est ut quædam loca per alia explicentur. Unde quoties ille, qui habet fidem charitate formatam, operatur ex supernaturali motivo consentaneo ipsi charitati, dici potest fidem per charitatem operari, quia operatur secundum præcepta et regulas charitatis, et quia omnes virtutes, quæ proxime operantur in tali merito, ab ipsa charitate originem ducunt et in ipsa radicantur.

Simili modo satisfit testimoniis Patrum, in quibus est præterea advertendum, cum dicunt ad diligendum Deum esse necessarium auxilium gratiæ, non solum loqui de affectu interno dilectionis, sed includere etiam dilectionem exercitam (ut sic dicam) ipso opere et observatione mandatorum; propter hanc enim dixit Joannes prima canon., capite tertio: *Diligamus opere et veritate.* Unde qui facit aliquid etiam humanum, quale est, verbi gratia, obedire principi, vel domino temporali, quia sic est voluntas Dei, ut dixit Petrus, prima canon., capite secundo, merito dici potest diligere Deum ipso opere, et ad illum modum diligendi est etiam gratia maxime necessaria. Et in hoc sensu maxime loqui solet Augustinus. Adeo ut aliqui putaverint, nomine charitatis ipsum intelligere non solum affectum Dei aut proximi, sed etiam quemlibet amorem justitiæ, præsertim supernaturalis, ut in superioribus vidimus, quod, generaliter loquendo, non probavimus, in uno autem vel alio loco potest tolerari, præsertim ubi generalius loquitur de amore justitiæ, ut indicat libro de Spirit. et litter., capitulo 32, et libro 21 de Civitat. Dei, capit. 26, ubi de victoria vitiorum dicit, *non fieri veraciter, atque sinceriter, nisi veræ delectatione justitiæ, quæ est in fide Christi,* et tamen subjungit: *Tunc victa vitia deputanda sunt, cum DEI amore vincuntur,* quod potest intelligi de amore Dei, quod in ipso opere et affectu implendi voluntatem Dei, vel colendi ipsum, vel alio simili includitur, quamvis etiam possit intelligi de proprio amore Dei super omnia, sine quo integra vitiorum victoria esse non potest.

25. *Solutio primæ rationis in num. 9.* — *Ad secundam.* — *Ad tertiam.* — Ad primam rationem, respondetur solum probare opus morale non esse proportionatum merito, nisi sub aliqua relatione supernaturali ex parte operantis fiat; non probat autem quod præter hanc relationem sit necessaria propria relatio charitatis procedens aliquo modo ab actu elicto ejus, quia prior sufficit ut actus sic factus sit proportionatus ultimo fini supernaturali, et tanquam medium per se et ab intrinseco tendens in illum. Ad secundam, concedimus meritum hoc fundari in amicitia hominis cum Deo, quam facit charitas simul cum gratia, propter quod optime dicitur omne meritum radicari in charitate. Dico tamen moralia opera facta ex supernaturali motivo, ex se et ex vi illius modi quo fiunt, esse opera istius amicitiae in actu exercito, ut sic dicam, etiamsi

a proprio et elicitu actu amoris non impentur. Sicut inter homines, qui beneficia confert filio amici, solum quia filius ejus est, verum opus amicitiae exercet, etiamsi tunc non eliciat internum actum amoris circa amicum, neque talis actus præcesserit, aut ad beneficium conferendum moverit. Ad tertiam, similiter respondeo, sicut opera sic facta sunt apta ad meritum, ita esse apta ad augendam gratiam, quia non augent illam physice, sed meritorie, et ad hoc satis est ut ab illa procedant, media aliqua virtute per se infusa, saltem ut referente et ordinante tales actus ad aliquem finem supernaturalem.

26. *Objectio.* — *Diluitur.* — Sed objici potest, quia hinc videtur sequi solum tribui hoc meritum actibus virtutum infusarum, et non moralibus actibus virtutum acquisitarum. Probat sequela, quia actus moralis si fiat ex motivo supernaturali, eo ipso est actus virtutis infusæ, nam in hoc solum distinguitur ab acquisita; ergo si hoc requiritur ad meritum, solus actus infusus et non acquisitus erit meritorius. Respondetur ex dictis supra de virtutibus infusis, et ex probabiliori doctrina de specificatione honorum actuum humanorum, duobus modis posse voluntatem operari circa materias moralium virtutum ex motivo supernaturali: primo, ut illud motivum sit proximum, et constituens proprium formale objectum talis actus, qui etiam dici solet finis intrinsecus ejus; secundo, ut illud motivum sit tantum remotum, et non excludens proximum, sed illud ad se referat, tanquam ad finem extrinsecum. Dico ergo ad virtutes infusas morales pertinere elicere actus suos circa materias morales priori modo, et de his actibus locuti sumus in capite præcedenti. Nunc vero addimus posse virtutem infusam, intendendo suum proprium finem seu motivum, movere virtutem acquisitam ad operandum proxime et immediate propter honestatem naturalem, ordinando simul illum actum ad suum finem, sibi quidem proprium, extrinsecum autem actui virtutis acquisitæ, sicut potentia infusa, verbi gratia, potest imperare actum eleemosynæ etiam factum ex misericordia acquisita. Et hoc modo, servata distinctione inter actus morales acquisitos et infusos, dicimus ad meritum actuum acquisitorum, necessarium esse ut ex motivo supernaturali, non intrinseco, sed ut ex fine extrinseco fiant. Et in hoc, generatim loquendo, cum secunda sententia convenimus; differimus tamen, nam quod ipsa restringit ad

relationem charitatis, nos ampliamus ad omnem relationem supernaturalem, ac subinde ad relationem cujuscumque virtutis infusæ; nulla est enim relatio supernaturalis, quæ ad aliquam virtutem infusam non pertineat, quæ fortasse non est contradictio, sed illius sententiæ commoda explicatio, quatenus omnis supernaturalis affectus bonus virtute includit affectum et relationem charitatis.

27. *Corollarium: omnem actum pietatis in homine justo esse meritorium de condigno.* — Atque hinc inferimus non dari in homine justo actum ex vera gratia factum indifferenter ad meritum vel carentiam ejus, sed omnem actum pietatis in homine justo esse etiam meritorium de condigno. Hoc aperte sequitur ex doctrina data, nam si darentur aliqui actus sic indifferentes, maxime illi qui fiunt a justo, vel antequam eliciat actum amoris Dei super omnia, vel quando tanto antea præcessit, ut nec formaliter nec virtute in aliud opus influat; sed ostensum est hoc non impedire meritum talium actuum, sed in eis manere sufficientem proportionem ad meritum; ergo nunquam dari possunt hujusmodi actus indifferentes seu carentes merito in homine justo. Sicut etiam homo justificatus per sacramentum poenitentiae cum sola attritione, si statim faciat opera poenalia, vel misericordiae ex affectu poenitentiae, vere satisfacit de condigno pro reatu poenae temporalis, et illa censetur satisfactio amicabile (ut sic dicam), licet ex actu amoris non processerit, neque ille antecesserit. Sic ergo omnes similes actus erunt in tali homine meritorii de condigno. Et in peccatore, qui subito rapitur ad confessionem martyrii contingere potest ut justificetur per detestationem suorum peccatorum, priusquam actum dilectionis Dei super omnia eliciat, et tunc non videtur posse negari quin statim mereri incipiat, fortiter sustinendo tormenta ex affectu fidei; imo si ita moriatur sine formali actu amoris, quia memoriae non occurrit, erit vere martyr, non ex solo privilegio, sed ex proprio merito, obtinendo præmium martyrio debitum, tam ut est confessio fidei, quam ut est insignis actus fortitudinis, sive infusæ, sive acquisitæ imperatæ ab affectu religionis aut fidei; nihil enim inter hæc Ecclesia distinguit. Similisque inductio in aliis operibus fieri potest.

28. *Fides ne an charitas magis requiratur ad meritum.* — *Judicium auctoris.* — Ultimo,

ex dictis expediri potest dubium incidens de comparatione inter fidem et charitatem, quæ illarum magis necessaria sit, magisve cooperetur ad meritum de condigno. Nam Altisiodorensis, lib. 3 Summæ, tract. 16, c. unic., quæst. 1, dixit meritum prius et principalius a fide quam a charitate pendere; illius vero sententiam graviter reprehendit Bellarminus, lib. 5 de Justificat., cap. 13, in principio, quia non parum favere videtur erroribus hæreticorum hujus temporis, et quia sunt apertissima Scripturæ testimonia, quæ potius charitati meritum tribuunt. Valentia tamen, dicta disp. 8, quæst. 6, punct. 9, solum dixit Altisiodorensis sine fundamento censuisse fidem esse principale principium meriti. Sed in verbis Altisiodorensis solum illud verbum *principalius*, sive *potius*, offendere potest, si absolute et simpliciter accipiat; si vero tantum secundum quid, pie potest exponi. Si ergo in necessitate comparentur, quædam æqualitas inter eas invenitur, quia, sicut non potest esse meritum condigni sine charitate, ita nec sine fide, et e converso. Si vero comparentur in actuali influxu per suos actus in opus meritorium, sic in rigore magis necessarius est influxus fidei, quia, ut ostendimus, sine actuali influxu fidei nullum est meritum, et valde probabile est non sufficere virtualemente influxum per actum præteritum, sed requiri quasi formalem, per actum intellectus ad fidem pertinentem, qui duret quamdiu durat actuale meritum, quod inferius, tractando de continuatione meriti, accuratius expendemus; influxus autem charitatis per proprium actum a se elicitum, non est ita necessarius ad omne meritum, ut vidimus, vel saltem non est necessarius per actum coexistentem merito. Et in ipsomet actu fidei, et voluntate credendi hominis justi inveniri potest meritum de condigno sine interventu actus charitatis, saltem tunc existentis; e contrario vero in ipso actu charitatis non posset esse meritum sine actuali influxu fidei. Et ratio est, quia in suo esse magis pendet charitas a fide quam fides a charitate. Nihilominus tamen, si comparatio fiat formaliter in dignitate et valore meriti, sic, absolute loquendo, principalius pendet meritum a charitate quam a fide, quia a fide solum pendet, ut ab excitante et moraliter adjuvante ad ipsum actum; a charitate vero pendet, ut a forma dante vitam ipsi fidei et omnibus virtutibus, quæ veluti ministrant charitati, et ideo ipsa est quæ omnibus actibus dat præcipuum valorem meriti, ut infra

etiam de gratia dicemus, nam in hoc fere æquiparantur.

## CAPUT XI.

UTRUM IN ACTIBUS INTERNIS VOLUNTATIS IMPERANTE ET IMPERATO SIT PLUS MERITI QUAM IN IMPERANTE SOLO; ET CONSEQUENTER AN ACTUS IMPERATUS HABEAT SUUM PROPRIUM MERITUM DISTINCTUM A MERITO ACTUS IMPERANTIS?

1. *Per se loquendo, actus voluntatis imperans et imperatus possunt in unum coincidere, non sic vero quando aliis potentiis imperat.* — *Vide auctorem in tract. de voluntario, disp. 1, quæst. 1.* — Hæc quæstio similis est illi, quam supra de actibus externis tractavimus; nam, ut ibi advertimus, actus interior intellectus quodammodo eam proportionem servat ad imperantem, quam servat externus ad internum a quo procedit. Est tamen notanda differentia inter quemcumque actum elicitum a voluntate, et actus elicitos aliarum potentiarum, quæ motioni voluntatis subduntur; nam isti actus exteriores nunquam fieri possunt voluntarie et libere, nisi per motionem et denominationem ab actu realiter distincto, et interius a voluntate elicitu. At vero actus elicitus a voluntate, ut voluntario ac libere fiat, per se non pendet ex alio actu ejusdem voluntatis realiter distincto, quia actus, elicitus a voluntate, per seipsum est intrinsece voluntarius, et virtualemente reflexionem includit, ratione cujus qui vult objectum aliquod, eo ipso vult velle, et qui amat, ipso amore vult amare. Nam si semper esset alius actus necessarius ad hoc voluntarium, vel procederemus in infinitum, vel sisteremus in aliquo primo actu non voluntario, a quo cæteri subsequentes haberent esse voluntarium, quod manifeste repugnat, ut latius traditur 1. 2, quæst. 6. Et simili ratione, quia actus internus elicitur a potentia libera, per immediatam habitudinem ad illam esse potest liber sine denominatione ab actu distincto. Quando ergo voluntas operatur, et quodammodo sibi imperat, voluntarie ac libere se applicando ad actum, non habet locum quæstio proposita, quia ibi tantum simplex actus intercedit; et ideo, sive consideretur ut directe tendens in objectum, sive ut virtualiter reflectens in seipsum, unicam bonitatem, libertatem ac moralitatem habet, et ideo unicum tantum meritum illi respondet.

2. *Sæpe tamen intra ipsam voluntatem actus*